



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 86. Novum Virginum Anglicanarum Institutum a Jesuitissis longe  
diversum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII.  
A. C. 1609.

§. LXXXVI.

*Novum Virginum Anglicanarum Institutum a Jesuitiss longe diversum.*

Originem hujus Instituti, cuius Sodales Anglicanæ Virgines nominantur, nonnulli a quadam Nobili Virgine Joanna Maria Warth, seu de Guardia tanquam prima Fundatrice perperam repetunt. Hæc in Anglia Nobilibus orta Parentibus, anno Christi millesimo sexcentesimo sexto Audomaropolin Belgii urbem delata, in duobus D. Clæræ Monasteriis Virginitatem Deo dicabat, inde vero egressa, currente hoc anno, cum se ad aliud vitæ genus vocatum crederet, ibidein proprio motu quemdam Virginum convictum aperuit, aliasque similes dein in aliis Belgii locis, necnon in Leodiensi, Trevirensi & Coloniensi urbibus constituit, eo fine, ut hæ Virgines passim in Angliam profecturæ, Protestantium conversioni insudarent, partim etiam alibi de Urbe in Urbem, de Regno in Regnum transmigraturæ, honestas puellas quasdam omni pietatis studio, literis & huic sexui & ætati accommodis laboribus imbuedi curam in se fusciperent. Petiit etiam Maria de Warth anno Domini millesimo

Gg 2 sexcen-

Sæc. XVII. sexcentesimo vigesimo primo Romam,  
A. C. 1609. a Gregorio Papa XV. Instituti sui con-  
firmationem impetratura: vehementer  
tamen eidem Procurator Cleri Angli-  
cani, necnon postea Cleffelius Cardi-  
nalis & Viennensis Episcopus allatis  
gravibus querelis vehementer obfiste-  
runt, unde facto hujus Instituti exami-  
ne Sacra Cardinalium negotiis Propa-  
gandæ fidei præpositorum Congregatio  
annuente Urbano VIII. Papa decretit,  
ut Apostolicæ Sedis Nuntii præfatum  
Institutum, ejusque Domus omnino ex-  
tirpari ac supprimi curarent. Cum ve-  
ro prædictæ Virgines se a Jesuitis, &  
præcipue P. Gerardo Collegii Leodien-  
sis Rectore directas esse jactitarent, at-  
que ad ipsorum normam cuncta com-  
ponere, in omnibus illos imitari, va-  
riosque Sodalitatis suæ gradus, & mu-  
nia, imo & Præpositam Generalem,  
Rectricesque, non attento Sedis Apo-  
stolicæ Beneplacito instituere satagerent,  
ac propterea *Jesuitissæ* passim nuncupa-  
rentur, eapropter summus Pontifex Mu-  
tio Vitellesco Jesuitarum Generali serio  
injunxit, ut omnibus suis Sociis di-  
stricte inhiberet, ne se deinceps direc-  
tioni quarumcunque Sanctimonialium  
immiscerent, aut eis leges vel Consti-  
tutiones præscribere præsumerent, eo-  
quod ejusmodi directio a mente Sancti  
Igna-

Ignatii, ejusque Instituto plurimum ab- Sæc. XVII.  
horreret, notumque esset, quod hic A. C. 1609.

idem Sanctus Fundator, cum Romam pro obtainenda Societatis suæ confirmatione advenisset, atque pariter Elisabetha Rosella, ut cum aliis piis mulieribus sub Societatis Instituto ac Regimine convivendi facultatem obtineret, in Urbem se contulisset, Sanctus Ignatius petierit, atque obtainuerit a Romano Pontifice, ut nullus Jesuita curam ac directionem Monialium ullo unquam tempore in se fuscipere teneatur: quoniam vero præfatum Instituti caput minus religiose progressu temporis servatum fuit, excusatio petenda videtur ex benigna Ignatianæ mentis interpretatione de *ordinaria* directione, aut ex Præsulum mandatis, & potentium importunitate. Ceterum juxta S. Congregationis præceptum Audomaropoli, Leodii & Coloniæ Jesuitissarum Domus suppressabantur; ne vero Trevirensis Conventus idem fatum subiret, obstitit Cambiana, quæ se hujus Instituti Visitatricem a Maria de Warth Præposita Generali esse constitutam afferebat. Agebatur igitur tum de honore præfatæ Præpositæ, quæ etiam missis undique encyclicis literis suas sequaces admonuit, ne Papæ mandatis obtemperarent. Tandem vero Anno Incarnationis

Gg 3

nis

Sæc. XVII. nis Dominicæ millesimo sexcentesimo  
A. C. 1609 trigesimo primo die decima tertia Ja-  
nuarii Urbanus VIII. edito diplomate,  
cujus suo loco mentio recurret, præ-  
tensam hanc Jesuitissarum Congregatio-  
nem perpetuo abolevit, suppressisque  
omnibus earum officiis ipsam Mariam  
de Warth, quæ interim in Belgium se  
recepérat, necnon etiam præfatam Cam-  
bianam in custodiam dari jussit, quæ  
ambæ postea Romam adductæ, ibidem  
in urbe loco carceris usque ad annum  
post Christum natum millesimum sex-  
centesimum trigesimum septimum de-  
tinebantur: Ex his igitur luculenter  
elucet, quod dicta Virgo Maria de  
Warth potius suppressi Jesuitissarum  
Instituti Fundatrix extiterit, nullatenus  
autem novi illius earum Virginum,  
quæ *Anglicanæ* mincupantur. Hæ enim  
primævum suum ortum trahunt a qui-  
busdam Nobilibus Catholicis Virginib-  
us, quæ ex Anglia, Patria sua sub  
idem ferme tempus odio Catholicæ Re-  
ligionis, quæ ibidem vexationem pa-  
tiebatur, expulsæ atque extorres in va-  
riis Germaniæ Urbibus liberaliter ex-  
ceptæ fuerunt, ac sub Ordinarii juris-  
dictione in communi viventes tam pro-  
priæ animarum saluti, quam etiam pro-  
ximi utilitati vacare, puellisque, quæ  
ipsis erudiendæ tradebantur, instituer-  
dis

dis incumbere cæperunt, econtra autem Sæc. XVII.  
Jesuitissæ, specie salutis animarum promo- A. C. 1609.  
vendæ, opera permulta, sexus, & ingenii  
imbecillitati ac modestiæ muliebri, & Vir-  
ginali præsertim pudori minime convenientia,  
& quæ Viri etiam Sacrarum literarum  
scientia, rerumque usu, vitæque innocentia  
spectatissimi, difficile admodum, & nonnisi  
magna circumspetione adhibita aggrediu-  
tur, attentare & exercere consuevere. No-  
vum igitur hoc, atque a Jesuitiss longe  
diversum Institutum Christianæ Reipu-  
blicæ tam proficuum credebatur, ut sub  
Pontificatu Innocentii Papæ XII. circa  
annum salutis nostræ millesimum sex-  
centesimum nonagesimum tertium cre-  
bræ plurium Germaniæ Principum pre-  
ces ad Sedem Apostolicam deferrentur,  
quibus novi hujus Instituti approbatio  
petebatur: Eapropter hujus rei cognitio  
a summo Pontifice Congregationi  
S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini  
Interpretum demandata est, quæ etiam  
præfati Instituti Constitutiones mature  
discussas approbavit, earumque postea  
approbationem, reprobatis ceteris  
aliis Constitutionibus, Clemens XI. e-  
dito diplomate confirmavit, id efflagitante  
Maximiliano Emanuele Bavar-  
iæ Duce atque Electore, cuius Serenissimus  
Avus Maximilianus itidem  
Bavariae Dux hasce Virgines in quibus-

Gg 4                  dam

Sæc. XVII. dam ditionis suæ urbibus præcipue Mo-  
A. C. 1610. nachii exceperat.

## §. LXXXVII.

*Alberti Archiducis editio pro tua  
Religione Catholica.*

Merc. Gal-  
lobelg. t. 6.  
Annal. l. 3.  
Eg lib. 33.

Ineunte Mense Januario anni post Chro-  
stum natum sexcentesimi decimi su-  
pra millesimum Albertus Austriæ Ar-  
chidux, ac Belgii Princeps, ut pro a-  
vito suo Religionis studio fidem Catho-  
licam fartam servaret, suosque subdi-  
tos ab omni hæresis fermento præmuni-  
ret, salutaria sane promulgabant edicta;  
cum enim post firmatas cum Foederatis  
indicias non sine animi sui mœrore in-  
telligeret, quod non pauci liberioris di-  
sciplinæ ac novitatum studiosi Antver-  
pia, atque ex aliis Belgii Urbibus ad  
Calvinistarum conciones confluerent, ne  
ex hac licentia Religioni Catholicæ de-  
trimentum accederet, sequens editum  
hanc in sententiam promulgari jussit.

„Cum ad nostras aures pervenerit, atu-  
„,bulentis quibusdam Conciones, & no-  
„,cturna conventicula haberi, vocesque  
„,contumeliosas ad seducendos Catho-  
„,licos spargi, hac in re nostro deesse of-  
„,ficio haud possumus, nec volumus,  
„,sed jubemus, ut quicunque in Fœde-  
„,ratorum ditione habitant, vel com-  
„,mer-